

† R. P. Aemilius Rouff (1881-1947) ¹

(Prov. Germ. Inf.)

Fer. II, 15 Dec. 1947, vespere h. 7,15 universi sodales domus generalitiae congregati erant in ecclesiam, ubi Rm̄us P. Generalis aperiebat visitationem domus canonicam. Solus P. Rouff, iam diu gravissime aegrotans, in suo lecto remanserat. Aman-
tissimus aegrotantis nosocomus F. Godefridus post illam caeremoniam in cubiculum aegroti, quod ante horam reliquerat, rediit cum cenula; sed quidnam terrefactus invenit? Hominem recens mortuum, adhuc calamum manu tenentem! Sic solum sub conditione extrema unctio administrari potuit. Ceterum P. Rouff h. 6,30 perfecerat, ut quavis hebdomade facere solebat, suam confessionem, et eodem die mane, vi privilegiorum nostrorum (*Compend.* n. 9) habuerat in ipso cubiculo inestimabile beneficium sacrificii Missae et sanctae communionis. Ergo non exsulat ab illis, quos Iesus beatos praedicavit: *Beati servi illi, quos, cum venerit dominus, invenerit vigilantes* (Lc. 12, 37).



Ipsa die funeris 17 Decembris amicus defuncti R. P. Petrus Krämer O. S. Cam., Cons. S. C. de Rel. et ex-Def. Gen., Patri H. haec scripsit: «Nuntius amati mei amici Patris Rouff me totum commovit. Quoties familiariter conversati eramus! Quoties inter nos eramus consolati et exhortati! Solebam cum P. Generali Janssen [M. S. C.] die Dominica eum visitare; qua occasione unusquisque parvas suas hebdomadis praeteritae aerumnas narrabat, indeque nascebatur colloquium familiare tam incundum, ut hora, conventui destinata nimis celeriter effugeret.

« Postquam P. Janssen in Germaniam profectus est, egomet putabam saltem nos duos diu posse ita pergere, verum hoc nunc iam fieri nequit, id quod tristitia me afficere patet.

¹ Effigies iuxta posita desumpta est ex photographia communitatis domus generalitiae tempore ultimi Capituli generalis facta.

«Tibi, care P. H., possum affirmare Patrem R. toto illo tempore, quo familiariter eo usus sum, mihi apparuisse toto corde sacerdotem, optimum religiosum, dignum S. Alfonsi filium. Tempore infirmitatis suae valde mihi aedificationi erat incondicionata sua cum Dei voluntate unione, praesertim tum, cum post illum in cubiculo casum [11 Aug. 1947] denno parvis suis deambulationibus renuntiare coactus est, lecto retentus cum crure dextro immobili. Nunquam lamentationis verbum ex ore eius prodiit.

* Praeterea me aedificabat eius studium singulare iuvandi confratres suos Germanos. Quot epistulas, quamvis aegrotus, in Americam misit ad adiutorium illorum confratrum efflagitandum! Ipso die mortem praecedenti mihi dixit se postremis diebus binas litteras illuc misisse, licet vix scribere potuisset; uni epistulae scribendae se fere quattuor horas insumpsisse, siquidem vires plane defecissent.

«Aedificationi quoque mihi erat veneratio illa, qua loquebatur de suo Superiore, eiusque obedientia perfecta. Quo tempore in nosocomio erat [a d. 23 Augusti ad d. 25 Septembris 1947] pluries eius confessionem excepi, et videre poteram, quam delicata esset eius conscientia. Utinam cito mercedem tot bonorum operum recipiat!

«Condoleo ex corde tibi, dilecte P. H., cunctisque tuis confratribus, praesertim Rmo P. Generali.

«Cum ave addictissimus tibi

P. KRÄMER ».

Aemilius Rouff natus est d. 3 Iun. 1881 in Rollingergrund prope Luxemburgum. Vacans studiis in athenaeo seu gymnasio-liceo huius urbis, a Deo sese vocatum sensit ad Congregationem nostram, haud secus ac tot alii eximii Magni Ducatus filii, ut PP. Raus (2), Blum (2), Smets (2), Jung (2), Didier, Hippert (2), Romi, Arnoldy, Krier, Zimmer, Cigrand, Thul, Theis, Thilges, Böver, Rollmann, Urbany (2), Speicher ... Tantum per biennium fuit in iuvenatu Provinciae Germ. Inf. tunc in Vaals Hollandiae, nunc Bonnae ad Rhenum sito. Tirocinium partim Epternaci, partim Luxemburgi transegit; domus quippe Echternach illo a. 1901 ad Provinciam Argentoratensem transiit. Vota nuncupavit d. 15 istius anni. Philosophiae studuit Treviris, theologiae in collegio Geistingen a. 1903 fundato, sacerdotio auctus 10 Aug. 1907.

Vix per biennium in iuvenatu Vaals docuerat studiosissime linguam gallicam et mathematica, cum a. 1909 a P. Provinciali Brors Romam missus est ad Scholam Maiorem tunc incipientem, ibique in nostro Studio domestico adeo eminebat, ut a. 1911, quo P. Wouters cathedrae theologiae moralis renuntiavit, dignus haberetur qui tanto magistro succederet, annos natus triginta.

Is, qui ultimis vitae annis tam debilis erat, ut Missam non stando, sed solum sedendo celebrare valeret, usus privilegio apostolico, et postremis diebus ne sic quidem, ante 35 annos bonam valetudinem, ut dicitur, aliis vendere poterat. Itaque hic iuvenis professor, ut erat animo ardenti, una cum collega eiusdem aetatis — et postea eodem anno morte abripiendo — P. Henrico Kirfel, volebat Scholam nostram Maiorem ad

talem perfectionem, et quam citissime quidem, evehere, ut etiam gradus academicos conferre posset. Praesertim eo instigante tota Schola Maior a. 1912 Exquiliis trans Tiberim ad Sancti Ioachim templum secessit, novo Superiore P. Ios. Rudisch; sed experimentum non duravit nisi annum. A. 1913 Schola Maior ad S. Alfonsi revertit, plane distinctam tamen communitatem, ut iam ad S. Ioachim, efformans. Anno IV scholastico eiusdem Scholae ad finem vergente duobus Lectoribus PP. Kirfel et Rouff suffecti sunt PP. Gregorius Dominguez, Prov. Hisp. († Asturicae 16 IX. 1918) et P. Alfridus Delerue, Prov. Par. († Lutetiae Par. 3. XI. 1935); at neuter suam cathedram romanam ascendere potuit, quia a. 1914 bellum mundiale I Scholam Maiorem per septennium suspendit, et haec a. 1921 revixit sub novo nomine Collegii Maioris novaque constitutione.

Actuosus P. Rouff, in Provinciam suam redux, sese cappellanum militarem obtulit exercitus Germanici; nam iam in studentatu civis Germanus evaserat; et haud communi zelo sacerdotali inter milites laborans, totum immane bellum in variis frontibus expertus est, indeque non levia retulit valetudinis damna.

Finito bello vix ei licuit ex Germania Romam proficisci, cum statim id perfecit, ut in Pont. Instituto « Angelicum » lauream in sacra theologia, diuturno labore paratam, obtineret.

Ad Almam Urbem revertit a. 1921; electus enim erat in Capitulo prov. d. 25 Aug. 1920 in I scrutinio II Vocalis Capituli gen., referens ex 21 votis statim 15. Pro sequenti autem Capitulo gen. d. 20 Apr. 1936, item ex 21 votis, in II scrutinio retulit vota 11, ergo sufficientem maioritatem, et hac quidem vice fuit unicus Provinciae Vocalis.

Inter duo Capitula, immo fere inde a bello finito fuerat in studentatu Geistingensi Lector theol. mor., past., ascet. et mysticae, et hic professor doctus, peritus, sacrae scientiae amantissimus profundam efficientiam exercuit in integras nostrae iuventutis generationes. Plus tamen viva voce operabatur quam libris prelo subiectis, uti videre est in Patris De Meulemeester Bibliographia II, 358 s., III, 377.

Ibi etiam sermo est de OLV i. e. *Ordenslektoren-Vereinigung*, quae unit Lectores philosophiae et theologiae omnium Institutorum religiosorum Germaniae ad permutandas inter sese experientias paedagogicas et scientificas aliaque adiutoria mutuo praestanda. Eius parens et diu praeses fuit P. Rouff. Haec unio sub tyrannide nazista videbatur extincta, sed adhuc vivit et denuo floret.

In Actis Capituli gen. a. 1936 sub n. 1620, p. 37 legitur: « Rectori Maiori conceditur a Capitulo Generali facultas eligendi cum Consultoribus suis Generalibus Consultorem Generalem ex Provinciis Germanicis cum omnibus officiis, iuribus et privilegiis ceterorum Consultorem Generalium, cuius munus perduret usquedum a proximo Capitulo Generali

aliter provideatur ». Curiae generalitiae electio cecidit in Patrem Rouff, qui deinceps novo gravi munere per undecim annos eximio zelo ac singulari discretione perfunctus est. Vitam autem communitatis nunquam integre participare potuit, quia iamdiu ex spina dorsali laborabat. Verisimiliter etiam illa anemia perniciosa, quae tandem eum occidit, per multos annos in eius organismo funeste operabatur. A. 1944 eius debilitas adeo creverat, ut continuo in lecto manere cogeretur inde a festo S. Ignatii, 31 Iulii. Consecutus est tunc illud privilegium celebrandi sedendo, de quo supra, et per notabile tempus alternis diebus a diligentissimo suo nosocomo curru levi ad vicinum nosocomium S. Elisabeth vehebatur, subiiciendus, nec sine salutari effectum, certis radiis electricis. Paulatim meliuscule se habere coepit, et intra ultimum Capitulum gen. ferrea sua voluntate id effecit, ut cunctis sessionibus interesset, haud semel ad dilucidanda varia problemata maturam suam sapientiam conferens.

Absoluto tamen Capitulo vires eius plane fractae erant. Reditus in Provinciam stabilitus erat in finem Octobris; sed fieri non potuit propter illam coxae fractionem, de qua supra diximus. Sic benigna Dei Providentia carum confratrem liberavit magnis illis privationibus, quae in Germania hodierna eum manebant, et mors blanda eum omni expectatione citius liberavit existentia terrena dolorum plena atque conduxit ad nostram Campi Verani sepulturam inscriptam: *Initium verae vitae*. Sic cum innumeris Urbis Aeternae Sanctis die ultimo gloriosus resurget.

Laudibus supra a P. Camilliano Petro Krämer carissimo defuncto tributis liceat addere verba ab ex-Cons. Gen. R. P. Augusto Sordet d. 9 Ian. 1948 e domo Gannat scripta: *J'ai été douloureusement surpris de la mort de notre bon P. Rouff. Je l'appréciais beaucoup et j'ai été longuement édifié par sa patience, sa piété, sa charité, son amour pour sa famille religieuse. R. I. P.*

Missae exsequiali, a Rmo P. Generali assistentibus PP. Henze, Meerschaut, Tosti cantatae, intervenere etiam P. Petrus Krämer O. S. Cam. supra laudatus, ex-Generalis S. V. D. P. Ios. Grendel et Def. Gen. O. F. M. P. Polycarpus Schmoll. Funerum sollemnia item celebrata sunt cum in ecclesiis nostris Geistingensi ac Luxemburgensi, tum in ecclesia paroeciali defuncti, et in his ultimis sollemniis etiam Excmsus Episcopus Luxemburgen. Iosephus Philippe S. C. I., ex eadem paroecia oriundus, per suum Secretarium repraesentabatur.